



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XCIII. Wernervs. LXVII. Arch. XXII. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

transtulit: dotavit pariter SS. Trinitatis, DD. Nicolai, Agnetis & Georgii aras proventu annuo, ut Sacrum in dies fieret ex voto Bonemundi. Eadem ætate Engelberto Coloniae Archiepiscopo vitâ functo, in Sedem invitatus Cuno Administratoris munus, minime verò dignitatem ipsam admisit, insigni Coloniensis Ecclesiae fructu, quem in rebus cunctis diligenter quæsivit. Imperatoris Caroli gratiâ potens, privilegia & nova & vetera curavit confirmari, & beneficiis augeri inauditis hæctenus, inter quæ venere telonia Septem - Viris Imperii ab Imperatore donata, ut Wenceslaum filium crearent Cæsarem, tanto Solio futurum indignissimum, præsertim difficillimo tempore, quo Ecclesia & Imperium tempestatibus maximis cœperunt concuti. Archipræsuli interea curæ fuit diversis nobilium clientelis res suas ornare & firmare; nobiles iidem erant Spanhemii, Nassovii, de Marca, Seinæ, de Wiede, Isenburgicus, Reuschenbergii aliique. Brechena inferior ab eodem muris est cincta. Idgensteinii quoque Canonorum Collegium instituit, hodie hæresi abolitum. Inter postremos labores Cunoni erat expeditio Ravensteiniana, qua unâ cum cæteris Ecclesiasticis Electoribus Ludovicum eius loci dominum, prædonem plurimis gravissimum domuit; quietis demum appetens in Wernerum pronepotem suum Urbano VI. Pontifice annuente, Canonicis verò obstrepentibus Pedum transtulit an. 1388. Sed. an. 20.

XCIII. WERNERVS. LXVII. ARCH.

XXII. ELECTOR.

Wernerus de Königsteiniorum stemmate natus, & multis virtutibus exornatus Treviris Archidiaconus, Canonorum demum etiam admissus est suffragiis. Lite una sublata, mox altera eidem est nata cum sanguine proximis, qui Cunonem Archipræsulem nuper mortuum thesauros soli Wernero cognitos abscondisse crediderunt. Litibus accessere pugnae, quarum

quarum alterâ Nassovium Comitem Molsbergo molestum repres-
sit, alterâ verò Wefaliam rebellem subegit, novo pyrii pulveris
& bompardarum usu victor. Deinde auxilio fuit Friderico Co-
loniensium Electori contra Engelbertum Marckanum Comitem,
quem mox alii vel secuti, vel æmulati Wenero bellandi campum
aperuerunt. Anno ab hoc altero, nimirum 1400. Wenero & E-
lectoribus reliquis consilium ineundum fuit de Wenceslao ignavo
Imperatore exauthorando, quòd tum Hussitarum hæresis in Bo-
hemia maximè eiusdem indulgentiâ cresceret, tum etiam causæ
plurimæ insignem Imperatorem desiderarent. Electi proinde in
Imperatores Fridericus Dux Brunsvicensis, & hoc mox sublato
Jodocus Moraviæ Marchio: hoc item brevi defuncto Ruper-
tus Palatinus placuit. Ruperto in Italiam profecto, & inde Tre-
viros reverso, Wenerus interea instauratum ab incendiis Wit-
lichium egregii operis castro communire cœpit, atque infra Con-
fluentiam Wenersecum arcem erexit. Tandem licet senio con-
fectus, Theodorico tamen Colonia Archiepiscopo adversus cives
suos cum copiis subvenit; at inde brevi in arce Burenbergica
morbo extinctus est an. 1418. Sed. an. 30.

S E C U L U M X V .

XCIV. OTTO. LXVIII. ARCH.

XXIII. EEECTOR.

OTto è Ziegenhemiorum Comitum stirpe progenitus, &
munere Præpositi in æde Trevirorum princeps ita est fun-
ctus, ut Canonicorum omnium calculis electus, testibus
lacrymis tantam dignitatem seriò deprecatus fuerit, non nisi mul-
torum precibus, & vi amica in Trevirensium Sedem elatus. Post
sedatos continuo Coloniae motus, Treviros reversus ad deprava-
tos multorum mores castigandos animum appulit, ipse exemplo

ri-